

This is Capito's reply to the preceding letter. It is a rough draft in Capito's hand. The manuscript is in the Basel Universitätsbibliothek, Ki.Ar. 25a, 37.

S. D. Hui, quantum nobis gaudii literae tuae attulerunt, Urbane charissime! Rumor fuit te ob verbum a Ferdinando aut extinctum aut eiectum ignominiose esse, nam omnino raptum affirmabant. Erant qui vivere amplius negarunt, quod nemo mortalium quonam proscriptus divertisses rescire interim potuit. Et profecto simus¹ quamobrem de amico solliciti, tristio-
5 hanc sententiam amplecteremur. Quemadmodum enim quae optamus haud illibenter credimus, ita quae ex evidentibus coniecturis ut eventura fore horremus, si feruntur incidisse, facta putamus – maxime autem hoc seculo, quod tyrannidos exempla plurima demittat ad posteros. Principi tuo iuveni per se nimium incenso non opus est hortatore Tridentino, quo cum adulatorum grege incumbente ex insano reddetur furiosus. Vim tantam Iesus nostra franget tolerantia, qui maiorum
10 exemplis ferendo vincere didicimus. Ecquid ais? Causamne dicere apud episcopos animus fuit? Quasi illi aut Christum per apologiam discerent, aut postquam didicissent, quia technis malisque nequeant, potentia ac tyrannide opprimere reverituri! Et hic nos quoque Lutherani dicimur ab illis autem omnium odiosissimis, qui omnium minime sciunt quid nam Lutherus profuerit orbi. Populus belle sapit, immo mulierculae et pueri sapientia christiana rabinos nostros antecedunt.
15 Tragice exclamant: o tempora, o mores! Siccine oportuit scripturae archan[a] usque ad infimae plebis notitiam prophanari? Quasi unctis duntaxat Christus natus esset, quasique nihil plebi commertii cum fide esse debeat, nisi dicent forte fieri posse ut credas quae prorsus ignores. At exerceamus nos, mi Urbane, assiduo scripturarum usu ad confirmandam fidem, siquidem cominus videtur congruedendum.

20 Io. Faber olim choragus est tragoediae huius non satis amicae, multos rapit ad supplicium, assentatur strenue, prolixè scribit in Lutherum – si ex animo omnia, iudicium opto; si, ut multis videtur, quaestus ac nominis causa, meliorem mentem precemur. Heri ab illo literas accepi, quibus mecum super silentio pertinaci in hec verba expostulat: quia mihi, inquit, non fuisti respondere dignatus? Tacere volui; credidi forte nec me nec mea placere tibi. Praeterea
25 unus scripsit, tutum me fore, si talentum non abscondam, hoc est, si perfricta fronte conabor quod conari impium, fieri autem [gr] adynaton existimo. En nunc siluisse demum fraudi est. Quid igitur? Donabo Christum propria qui volatilia caeli pascit et me alet, et cedam igitur volens, quod nolenti sunt ad vindictum silentii alioqui erepturi. Scio quod populus sacerdotum, corrogatis undique testibus, Lutheranae hereseos me reum fecit Romae via occultae
30 denunciationis, quae ut est facillima, nam pessimo cuique patet, ita est omnium sceleratissima, tum quod inimica sententia concepta semel suspitione opprimant securam innocentiam, tum quia praerepta facultate respondendi, minus illorum vis ut illustretur, sicut imprimis studio est castis corruptissimae meretricis turpitudinem producere in apertum. Siquidem canere nemo quod nesciat sufficit. Atqui tergum tam cito? Non profecto, quin virum praestabo obfirmatoque animo,
35 adverso pectore premam incumbentes. Etenim, spem de Adriano quidam satis benignam faciunt cuius specimen in me praebebit – si probum, servatus sum, si foedum etsi pessundatus, idem casus: saluti tamen erit. Adeo tuta sunt omnia mihi nihil timenti, nedum secunda. Precibus puris me adiuvato spectantem ad victoriam, qui mecum *primam* superavi prope *coitionem*, quae *acerrima* fertur, congressus nimirum cum amicis et affinis, cum carne et sanguine;

¹ Corr. 'sint'

40 exoptandum votis ut praevaleamus in eo qui nos confortet, Christus Iesus. Amen. Argen. 6 Iulii
an. 1523.